ANACLETVS autem natione athenienſis. ex patre antiocho. ſedit annos XII. menſes II. dies X. Fuit temporibus Domiciani. Hic memoriam beati Petri conſtruxit. et compoſuit dum presbiter factus fuiſſet a beato Petro ſeu alia[a] loca. ubi epiſcopi condiderunt ſepulturas ubi et ipſe ſepultus eſt. iuxta corpus beati Petri

ADRIANVS quartus Perſecutor

[a] alia

EVARISTVS natione grecus ex patre iudeo. ſedit annos XIII. menſes VII. dies V. Fuit temporibus Domiciani et Neruæ et martirio coronatus iuxta corpus beati Petri ſepultus eſt. Hic titulos in urbe roma diviſit presbiteris. et VII. diaconos ordinavit qui cuſtodirent epiſcopum praedicantem propter ſtudium veritatis

ALEXANDER natione romanus ex patre Alexandro ſedit annos X. menſes VII. dies II. Fuit temporibus traiani. et martirio coronatus. ſepultus eſt uia numentaria ubi decollatus eſt VII^mo ab urbe miliario. Hic paſſionem domini inſtituit in ſacrificiis commemorandam quando miſſe celebrantur. et conſtituit aquam ſparſionis cum ſale benedici in habitaculis hominum

SIXTUS. I. natione romanus ſedit annos X. menſes II. dies XX. I. Fuit tempore adriani et martirio coronatus. ſepultus eſt iuxta corpus beati Petri. Hic conſtituit ut miniſteria ſacrata non tangerentur niſi a miniſtris deo ſacratis. et ut decantaretur ſanctus in miſſarum ſollemniis.

TELESPHORVS natione grecus ex anachoreta ſedit annos XI. menſes III. dies XXII. Fuit tempore antonii marci. et martirio coronatus. iuxta corpus beati Petri ſepultus eſt. Hic conſtituit ut VII. ebd ante paſcha a clericis fieret. et in natalis domini nocte miſſa celebretur. quam omni tempore ante horam terciam qua dominus aſcendit crucem nullus facere praeſumpſerat. et ut ante ſacrificium ymnus angelicus diceretur gloria in excelſis deo.

ANTONINUS pius cum filiis

YGINUS natione grecus ex philoſopho ſedit annos IIII. menſes III. dies VIIII. Fuit tempore ſeveri marci. et iuxta corpus beati Petri ſepultus eſt. Hic clerum compoſuit et diſtribuit gradus

MARCUS ANTONINUS VERUS